



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

Festvm SS. Trinitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

erubescere, ait, vel sic & tesseram damnationis cape, salutis futuram, si maluisses. Sub hæc in cœlos, æger in desperationem abiit. Erexit tamen miserum frater, & ut noxis expiatis ad *Amorem SPIRITVM* se verteret, suavit. Tertia igitur nox personam visa ostendere, vultu prioribus non absimili, sed placido, & arridente, qualemque humero insidens columba probabat. Atque hæc scelestorum veniam, & mortem beatam nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus *columbam sine felle esse?* *Ex Spec. Exempl.*

FESTVM SS. TRINITATIS.

Quid solem intueris? si sapis oculos claudes. Fides talpa sit, oportet. Nimirum non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine, docuisti. Manu tamen ad tanta mysteria non semel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vafatenses Hunni bello, & hæresi suâ SS. TRIADEM Ariani impetebant, miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim sub ipsis sacris è calo in aram tergemina guttæ se demiserunt, invidiam crystallo facturæ. Has cum legere Sacerdos vellet, ecce suapte sponte in unicum gemmam coivere. Atque hoc nobilissimū, VNIUS TRIADIS, & TRINÆ VNITATIS symbolum Christiani cruce, hanc unionibus  
orna-

ornarunt. Sed quod unâ suâ gemmâ  
sat dives crux esset, uniones omnes,  
velut victos se faterentur, longè inde  
exfilerunt, quo permoti cives aureâ  
denique cruce, ut par erat, gemmam  
unicè pretiosam incluserunt. Iam in  
Virginis Claræ de Monte Falco corde  
reptos ajunt hodieque asservari tres  
globos, qui singuli cum singulis, quin  
imò bini etiam cum tertio certant pon-  
dere, nec tamen superant, nec superan-  
tur. Ostendit hæc Virgo nobilius ali-  
quid quàm aurum, quo mysterium hoc  
claudamus, cor nostrum. Aut enim  
hoc, aut nihil capit DEVM.

## FESTVM SS. CORPORIS CHRISTI.

Iuvat pompæ, quam omnis hodie or-  
bis Christianus ducit, exordia paucis  
denarrare, Virgo fuit non procul Leo-  
dio; nomen virgini Iuliana. Hæc dum  
cælos, quos animo jam habitabat, ocu-  
lis etiam obambulat, novam Lunam  
aspicit, à quâ altera lubens lucē suam  
mendicaret: pleno tamen incremento  
aliquid restare videbatur. Subinde au-  
dit Ecclesiam hanc esse Christi spon-  
sam, cui porrò ad decoris supplemen-  
tum nihil deesset, quàm ut sponsum  
suum sub pane latitantem festo die, &  
pompâ celebraret. Et verò ad hoc ope-  
ram Iulianæ cælum expetere. Diu lin-  
guam Virginis modestia ligatâ tenuit,  
dum